

BOTANISCHES MUSEUM
der k.k. Universität.

J. N° 10728


B

C 101/4

12



Dr. Schaffel



XLI. S. 71

UNIVERSITATIS VIENNAE BOTANICAE
DISSEMINANDI ET PROPAGANDI
SOCIETATIS


DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-BOTANICA
SISTENS
GLOSSOLOGIAM
FOLIORUM
QUAM CONSENSU ET AUCTORATE
PERILLUSTRIS, MAGNIFICI AC CELEBERRIMI
DOMINI
PRESIDIS AC DIRECTORIS,
ILLISTRIS, SPECTABILIS AC CELEBERRIMI
DOMINI

DECANI

NEC NON
CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM,
PRO
MEDICINAE DOCTORATUS LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS,
IN ALMA AC ANTIQUISSIMA CÆS. REG. CAROLO-
FERDINANDEA UNIVERSITATE PRAGENA
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

David Jahnl,

Bohemus Grasslitzensis,
pro suprema Doctoratus medici Laurea candidatus.



In theses adnexas disputabitur in magna Aula Carolina die
16. Aprilis hora 11. matutina, anno MDCCXXXVI.

PRAGAE, 1836.

TYPIS FILIORUM THEOPHILI HAASE.

ОИТАКИСИДА

АРХИВОВЫЕ СБОРНИКИ

Ч. 10

СОДЕЙСТВИЕ

ПРИРОДЫ

СОВЕТЫ ПОДЪЯЧИХ СОУЩЕСТВУЮЩИХ

A VUNCULO

optimo atque dilectissimo

JODAN. D. STARCK,

domino praediorum nec non fodinarum plurium
mineralium,

V I R O B E N I G N O

has literarum primitias

in sempiternam sinceri amoris et piae gratitudinis
tesseram

sacrat

Auctor.

omission of single word

minima quae non esse possunt nisi
minima.

ОНИ ГДЕМОУ

anticipating numerous difficulties.

einheitl. auf 19 Jahre mit einer
Zinsrate von 19891.

De foliis in genere.

Folia dicuntur illa (plerumque viridescentia) organa plantarum, quae qua explicaciones nervorum textu celluloso seu parenchymate intercedente, cauli aut ramis adhaerentes, decori, nec non et praecepue nutritioni inserviunt; exacta enim et repetita ad eorum functionem cognoscendam scrutatione instituta evictum est, ratione structuae seu texturae et formae organa haec esse plantis aequae necessaria, quam radices.

Folium adcuratius intuentes invenimus illud fasciculo fibrarum a caule discedente constans, quod, quoisque junctim illae decurrunt fibrae, petiolum constituit; quando autem illae discedunt vario modo sese explicantes, illa oritur folii pars, quam ejus limbum vocamus. Hac ergo ratione folium petiolo constat et limbo (folia dicta petiolata); non defientibus tamen foliis, aut petiolo aut limbo destitutis (foliis dictis sessilibus).

Quamcumque autem sequatur folium formam, quodlibet aut articulatione, aut absque illa e caule originem dicit, quae cum persistentia foliorum arcte cohaeret proprietas.

Si partes ejusdem folii articulatione inter se cohaerent, ita ut quaelibet separatim decidere valeat, folium dicitur *compositum* v. c. *folia pinnata, ternata*

Leguminosarum ut: Trifolii, Medicaginis, Robiniae, Galeae, et aliorum, distinctum a simplici, cujus partes absque articulatione intime inter se junguntur; uti folia Achilleae, Aconiti, Umbelliferarum et s. p. Folii, sive sit petiolatum, sive sessile, observantur primo nervi, costae, venae, i. e. fasciculi fibrarum, a basi a se invicem discedentes, sceletum folii formantes. Primae ramifications aut petioli ad basim folii continuationes nervi dicuntur *primarii*; qui ex his originem ducunt, *secundarii*; et qui iterum ex his oriuntur, *tertiarii*; interstitium inter has ramifications nervorum textu celluloso plus minus succulento expletur, parenchymate dicto.

Notari autem oportet, sub venis intelligi nervos, supra parenchyma minus eminentes, visibles tamen; et ad parenchyma ultimas etiam nervorum ramifications adnumerari.

Nervorum et fibrarum ramifications, quae in eadem fiunt planicie, folia constituant plana; quae autem in omni decurrunt directione, crassa constituunt, seu folia carnosa, uti: Sedum, Crassula, Aloë et plantae sic dictae succulentae possident. Planum quodlibet folium superficiem exhibit superiorem, inferiorem, nec non partem intermediate, telam cellulosa, plus minus succulentam, *parenchyma, mesophyllum* (*Blattfleisch*) dictum.

Ramificationibus ergo nervorum, quum formetur mesophyllum, textu cellulosu intercedente, liquet, eo tenuius fieri oportere folium, quo minus a se invicem nervi discedunt; eo autem crassius, quo magis illi, tela cellulari copiose evoluta, divergunt; et non parvi haec foliorum formationis contemplatio aestimanda est,

quum duae praecipue circumstantiae intellectu eo clariores reddantur.

Primo stomata ultimorum vasorum fines esse dicuntur, et revera eo copiosiora et magis conferta inveniuntur in foliis, quorum parenchyma minus est evolutum; eo autem magis distant, quo magis evolvitur mesophyllum.

Capilli secundo, e nervis eorumque ramificationibus originem ducentes, eo magis conserti reperiuntur, quo minor adest parenchymatis quantitas, eo magis autem, parenchymate evoluto, a se invicem distant rarioresque cernuntur, qua de causa folia juniora vetustioribus plerumque copiosoribus cernuntur capillis.

Hae nervorum ramifications, tela intercedente cellulari, utraque superficie, inferiori et superiori, cuticulis involvuntur, quae eo facilius detrahi valent, quo major parenchymatis quantitas, et quo minor stomatum copia adest.

Superficies a se invicem distinguuntur, superioris plerumque nervi minus eminent, capillorum minor adest quantitas, stomata aut nulla aut pauca adsunt, et cuticula firmius illi adhaeret, quare etiam magis viridescit; oppositis autem plerumque adparet proprietatibus superficies inferior; nervis enim magis eminentibus majori obsessa est quantitate capillorum, stomata huic paeprimis propria et cuticula facilius detrahi valet, quare et color languide viridescit. Cuilibet superficie ad functionem obeundam certa destinata esse videtur directio, quum si invertis folium in directionem a natura illi denegatam, aut regredi conatur, aut cohibitum emoritur.

Margines foliorum sutura formantur cuticulararum, in foliis magis conspicui planis, quam crassis seu carnosis, quorum nec margines nec superficies distincte adparent. Folia non desunt ita convoluta et a lateribus compressa, ut superficies externa a superficie constituatur inferiori, folia dicta *ensiformia*, v. c. ireos species, angulus inferior per nervorum medium, superior per marginum suturam formatur. Margines foliorum persaepe sunt callosi; capilli, quos gerunt, consistentiae sunt firmioris, *cilia* dicti.

Foliorum irregularitas.

Folia singula, ratione formae considerata, e regula ita sunt constituta, ut nervus medius folium integrum in duas dividat partes sibi et forma et magnitudine aequales. Haec non solum in simplicibus, sed etiam in compositis observatur foliis lex, nec non in singulis compositorum foliolis; symmetrice ergo et regulariter formata ea dicuntur, quorum medietates sibi invicem aut plane similes, aut paululum tantum ratione dimensionum dissimiles inveniuntur. Non desunt tamen folia, quorum medietates e regula magnitudine aut forma sunt inaequalia, folia dicta *inaequilateralia* aut *obliqua*; sic v. c. foliorum Begoniae una medietas infra punctum insertionis descendit, altera superius remanente. Haec irregularitas in genere in foliis tantum alternantibus observata ab eorum positione obsecundari videtur, ita ut inferius fere semper magis evolvatur latus.

Adecuratius autem haec observatur lex in foliis pinnatis, quorum, quae inaequilateralia inveniuntur, medietas inferior non semper magis evoluta non observatur, medietate interea superiore remanente.

Quod in foliis, etiam in stipulis observatur; sic, quamvis rarius, stipulae occurunt, quarum medietates forma et magnitudine a se invicem valde discordant; exemplum manifestum praebet Ervum ervilia, ubi cuiuslibet folii stipula altera parva et integra, altera autem magna sectaque conspicitur; nec plantae cum stipulis in altero tantum latere evolutis, deficiunt.

Folia sub evolutione.

Folia e palmitibus (jungen Zrieben) orta, eo momento, quo illae evolvuntur, jam formata, plus minus evoluta, ast minus conferta, minima, et ad sceletum reducta sunt. Hoc tempore folia externa aut squammarum forma induita, internis, nec non palmitibus involucro inserviunt; aut sub evolutione internis similia involucrum minus constituere videntur. Primo in casu foliis ab externis formatum involucrum nominatur *gemma squammosa* (schuppige Knospe), altero autem in casu *folia nuda* dicuntur, seu absque involucro. Folia sive cum, sive absque involucro hac aetate ita disposita sunt, ut ad minimum restringantur spatiū; forma eorum hac aetatis periodo a variis destinatur circumstantiis; dispositione nimirum et modo in caule adhaesionis, ramificatione nervorum, nec non partitione, partimque illarum concretione. Ad paucas tamen omnes varietates plicationum, mo-

dificationes reduci possunt, prouti folia aut secundum nervum medium complicata et convoluta sunt, aut ita flectuntur, ut apex basim versus dirigatur, aut nec incurvations nec plications ostendant manifestas.

Folia cotyledonum plerumque secundum nervum medium ita complicantur, ut superficies medietatis utriusque folii superiores sibi adpropinquent, quae complicatio status foliorum normalis in nervis pinnatis esse videtur; sed ob varias varie modificatur haec plicatio circumstantias. Si folia pinnato-nervata ita opponuntur, ut crucis formam exhibeant, quodlibet eorum versus nervum medium ad medietatem usque se complicat, et hac ratione par internum ab externo amplectitur, quae folia dicuntur equitantia: *Ligustrum*, *Syringa*. Si folia sunt alterna, quodlibet eorum ad se ipsum revolvitur, quin adjacens amplecteretur, quae folia dicuntur *conduplicativa*: *Fagus*.

Folia palmata, ut jam supra dictum fuit, e foliis, nervis cum pinnatis concretione orta considerari possunt; cuilibet ergo nisu, se ad se ipsum involvendi, inest, quo forma foliorum plicatorum inducitur.

Nonnulla tamen huic non congruunt regulae; sunt, quorum margines, quamvis limbus secundum nervum medium sit convolitus, plus minus sint voluti, folia sic dicta *revolutiva*, ut: *Rosmarinus*, *Salix*, aut *involutiva*, ut: *Evonymus*, *Nenuphar*.

Sunt demum Dicotyledonum folia tam exiguae latitudinis, ut, quamvis instructa nervo medio, pliari non possint, ut *larix* etc., folia dicta imbricativa (dachziegelförmig über einander liegend).

Folia, quorum petioli magnam caulis partem amplectuntur, ad quae plurima monocotyledonum et

dicotyledonum quaedam pertinent, sub evolutione ratione dispositionis ab aliis discrepant. Eorum plurima, petiolo dilatato constantia, inflexa imbricativa sunt, uti Allium, Liliaceae.

Plantarum petioli vaginati, qui supra originem, ac si nervo sint instructi medio, revolvuntur, formam foliorum medietate utraque sibi adproximatorum induunt, uti ireos species, quarum folia alterna, quum quodlibet eorum margine utroque alterum circumdet, sub evolutione *amplexa*, evoluta autem *ensiformia* dicuntur.

Alia adhuc foliorum dispositio sub evolutione est *convolutiva* (tutenförmig), quorum margo alter circa alterum uti circa axim convolvitur, ut: Musa, Canna, Maranta, Amomum.

Cuncta fere plantarum folia quedam harum dispositionum modum sequi consuescunt; ast non pauca longe alias sub plicatione leges sequentia reperiuntur; ad quae pertinent;

1. Folia *replicativa*, i. e. quae ita se inclinant, ut pars superior inferiorem tegat, quod in foliis junioribus Aconiti, Liliodendri conspicitur.

2. Folia *circinnalia* (schneckenförmig); i. e. quae ab apice ad basim versus conchae ad instar torquentur, apice folii aut lobuli cuiuslibet axim quasi formante; quod inter dicotyledones apud Droseram, Zygademy, Zamiam, Aspidium et apud reliquos filices veros obvenit.

Quamprimum folia paululum increscere incipiunt, sat regulariter et longitudine et latitudine maiores fiunt, ast nondum adhuc ita leges incrementiae patent, ut esset in votis.

Petioli fibris paralelle compositis et foliis non assimilibus, uti illi monocotyledonum, propriis innixi legibus elongantur; ita ut primo apex conspicua e bulbo (Zwiebel) quasi extrusa exsurgat.

Foliorum increcentia in latitudinem, in omnibus foliis cum nervis ramosis seu divergentibus per elongationem fibrarum, nec non per evolutionem parenchymatis inter illos siti efficitur; increcentia in latitudinem cum nervis parallellis et convergentibus, in genere exigua, et a sola parenchymatis evolutione dependere videtur, quam ob rem latitudo illorum minus quam horum variabilis conspicitur.

Quamprimum ultimum increcentiae fastigium folia sint assequuta, muneribus suis per temporis spatium admodum variabile funguntur, ast aquam, aquae destillatae non absimilem evaporando, partes autem terrestres cum succo nutritivo simul illis adductas retinendo, vasa pedetentim indurescunt, obturanturque evaporationis viae; hinc, quo vivacius folia munere suo funguntur, quo expeditior fit evaporatio: eo citius morti succumbunt; qua ex causa per annos saepe persistunt folia coriacea; duratio itaque foliorum vitae ratione in inversa cum functionis vivacitate versatur. Tempore hoc vix ingresso, folium exsiccatum emortitur; bene autem foliorum mors a decisione illorum distinguenda venit; ambae enim, licet persaepe jungantur, natura sua sunt diversae. Cuncta certo temporis momento folia moriuntur, ast alia per circumstan-tias externas devastantur, non decidentia; alia basi a caule se separantia, decidunt, aut mortua, aut moribunda, aut aegrota.

Causae decidentiae foliorum a variis auctoribus variae adducuntur.

Mustel eam in ubertate succi nutrientis posuit; Kolyk iisdem fieri legibus, quibus natura in animalibus ad partem mortuam (necrosim) amovendam utitur, putavit. Sénebier, qui mortem a decidentia discernere non est cunctatus, hanc in gemmae incremento anni subsequi invenit, quae in axi foliorum se evolvere incipit. Vaucher folia, quae immediate cum caule cohaerent, mori non decidentia docuit; illa econtra, quae articulatione cauli adfiguntur, certo tempore necessario decidere. Foliola ergo folii compositi, eadem ratione petiolo adfixa separatim decidere valent.

Causae igitur decidentiam facilitantes, sunt: Gemmarum in axi foliorum explicatio; incrementum ad finem delatum, quo petiolus exsiccatur, intorqueaturque; trunci, quo fibrae ad basim folii separantur, incrementum; circumstantiae demum atmosphaericæ, quibus uti gelu, humiditate, pruina etc. incrementum impeditur; nec non causae mechanice agentes: ventus, grando, pluvia. Cunctae hae facilitant causae decidentiam foliorum, quae proxime autem dependet ab articulatione.

Functio foliorum.

Omnis, quam exhibent, foliorum structura, quae maximi ad eruendum organi cuiuslibet negotium aestimanda venit, non unicam assumere functionem, nos exhortatur, quod paucis considerandum:

1. Primum et praecipuum illorum officium est, partem aquosam, seu aquam superfluam evaporandi, quod stomatum est; quo major enim illorum congeries, quo major foliorum numerus, quo magis extensa illorum superficies: eo alacrius partis aquosae evaporatio. Huic, quae in genere primaria consideratur, scrutatione adtentiori aliae mox associant functioni, memoratu aequa dignae, respicienda eque.

2. Sub variis circumstantiis aquam in aëre evaporatam absorbere, e Charles Bonnet experimentis sumus edocti.

3. Ventis, tempestatibusque exposita, hinc inde continuo pelluntur, et non pauci aestimandum est, succos motu illorum continuo impelli circumagique; quum per hunc motum incrementum, ut e celeb. Knigh experimentis constat, adaugeatur.

4. Aëri, gas carbonico onusto, aut aquae, acido carbonico scatenti sub lucis influxu exposita, gas de-componunt carbonicum, carbone se jungentia, oxygenium extrudunt.

5. Aëri oxygenato lucis absentia, seu de nocte exposita, hujus absorbent oxygenii sat magnam quantitatem, quam nos primo cel. Théodore de Saussure experimentis suis edocuit functionem.

6. Alia glandulis obsessa varios secernunt humores.

7. Ex his ergo non arduum erit intellectu, aequa summe necessarium foliis inhaerere negotium ac radicibus, quum harum ope succi adlati in illis elaborentur perficianturque. Aequa temeraria esset quaestio, an majoris momenti functio radicibus, an foliis inhaereat; ac illa, an ventriculus magis ad repro-

ductionem, et ideo ad vitam sustinendam conferat, an pulmones? Vita et reproductio plantarum utraque et radicum et foliorum inititur functione, et una alterave cohibita aut exstincta vel per alia substituitur organa modificata, vel omnis morti succumbit planta.

Si planta aut casu fortuito aut ob determinatum finem foliis spoliatur, natura malo mederi adnititur, genuinas in axillis foliorum, anno subsequo evolendas evolvendo partes, aut hoc impedito, mortis erit messis.

In plantis, a natura foliis cassis, vices illorum agunt aut organa alia ejusdem plantae, aut aliae plantae.

1. Foliis non evolutis petioli fibrae a se magis discedunt, parenchymate interea inter has se evolvente, foliorum munere fungentis: *Accacia longifolia*, *A. myrtifolia*, *A. paradoxa*, *Bupleurum*.

2. Foliis non evolutis stipulae de die increscent, munus illorum subeuntes, uti *Lathyrus aphaca*.

3. Aliarum plantarum, foliis destitutarum, aut illis nimis parvis aut citius deciduis, corticis superficies externa magis evoluta, stomatum majori copia provisa, folia substituit: uti in ramis junioribus *Ephedrae*, *Stapeliae*, *Ceropegiae*, *Cacti*, *Xylophyllae*, *Casuarinae*, *Euphorbiae*, *Tithymali*.

Aliae, in quibus non per alia substituitur organa foliorum functio, qua parasiticae ex aliis vitam hauriunt plantae: *Cuscuta*.

Glossologia foliorum.

A. Petiolus.

Fibrae a caule aut ramis ortae, quamdiu sejunctim progrediuntur, immediate limbum folii ferentes, petiolus vocantur. Praeter dispositionem, adhaesionem, directionem, quae ipsis cum foliis sunt communes, quasdam determinationes illi proprias habemus et quidem petiolus existit:

Teres (stielrund) v. c. *Tropaeolum majus*. *Hydrocotyle vulgaris*, *Ricinus communis*.

Semiteres (halbrund) v. *Clematis Flammula*.

Angularis (kantig).

Compressus (zusammengedrückt): *Calla aethiopica* *Populus tremula*, P. dilatata.

Canaliculatus (rinnenförmig): *Tussilago Farsara*, *Camelia Japonica*.

Inflatus (aufgeblasen) bullam quasi formans: *Trapa natans*. *Pontederia crassipes*.

Dilatatus, expansus (ausgebreitet) crassitie exigua in latitudinem magis detractus: *Ajuga reptans*, *Sambucus nigra*.

Vaginans (scheidig) basi membranacea dilatataque caulem aut ramum amplectens: *Comarum palustre*, *Umbeliferae omnes*, *Polygoniaceae*, *Ranunculineae*.

Alatus (geflügelt) latere utroque alis quasi membranaceis instructus: *Lathyrus sylvestris*, *Rhus Coriaria*, *Citrus Aurantium*.

Auriculatus (geohrt) alis ad latus petoli utrumque angustis, ad basim vero in lobos transeuntibus

amplos dilatatos: *Sonchus tenerrimus*, *Spiraea Ulmaria*.

Nudus (nackt) nec alatus nec auriculatus.

Aphyllus (blattlos): *Lathyrus Aphaca*, *Accaciae plurimae e Nova Hollandia*.

Cirrhiformis (ranzenförmig) cirrhi ad instar se volvens et fulcro plantae inserviens: *Clematis Flammula*, *Fumaria capreolata*, *Lophospermum*.

Cirrhiferus (ranzentragend) ultra folii apicem in cirrhum terminans: *Vicia*, *Pisum*, *Lathyrus*.

Foliaceus (blattartig) folii ad instar dilatatus coloris viridescentis et quidem:

a) foliifer (blättertragend): *Accacia heterophyllus*, *Oxalis latipes*.

b) aphyllus (blattlos): *Iris*, *Sisyrinchium*, *Hycinthus*, et tunc in genere folii ad instar describitur, easdem offerens proprietates.

Spinniformis (vornartig) petiolus persistens: foliolis deciduis in spinam indurescens: *Astragalus aristatus*, *A. Tragacantha*, *A. creticus*, *A. gummifer*.

Ratione longitudinis.

Brevissimus; octavam vix partem longitudinis limbi assequutus: *Ledum palustre*, *Lysimachia vulgaris*, *Empetrum nigrum*, *Vaccinium uliginosum*.

Brevis; sextam aut quartam assequutus partem longitudinis limbi: *Cynanchum vincetoxicum*, *Phytolaca decandra*.

Longus; longitudinem limbi fere assequutus: *Populus monilifera*, *P. tremula*, *Acer campestre*, *Carica Papaga*.

Longissimus; longitudinem limbi superans: *Asarum europaeum*, *Cyclamen europaeum*, *Hydrocotyle vulgaris*, *Nymphaea alba*.

B. Limbus.

Distinguuntur folia ratione *originis*:

Folia radicalia, quae e radicibus originem trahere videntur: *Leontodon Taraxacum*, *Cyclamen europaeum*, *Viola odorata*, *Bellis perennis*, *Carlina acaulis*, *Colchicum autumnale*, *Crocus vernis*.

„ *caulinaria*: *Erigeron uniflorum*, *Verbascum thapsiforme*.

„ *ramealia*; e ramis oriuntur.

„ *truncalia*: *Carica Papaga*.

„ *floralia*, in vicinitate florum versantia: *Stachys*, *Artemisia vulgaris*.

„ *seminalia*, cotyledones, formam foliorum induentes; *Ipomea*, *Polygonum*, *Fagopyrum*.

„ *primordialia*, immediate cotyledones insequentia: *Pinus pinea*.

Ratione adhaesionis.

1. Folia *adnata*, absque articulatione e caule prodeuntia:

a) „ *decurrentia*; foliorum substantia ad caulem plus minus decurrit: *Onopordon Acanthium*, *Verbascum thapsiforme*, *Verb. Thapsus*, *Verb. phlomoides*.

b) „ *amplexicaulia*, basi caulem circumdantia: *Papaver somniferum*, *Brassica Rapa*, *B. orientalis*, *B. oleracea*, *Hyoscyamus niger*. *Doronicum*.

- c) Folia *semiamplexicaulia*, quae ad medietatem usque caulem amplectuntur: *Inula dysenterica*, *Isalis tinctoria*; *semperfervivum tectorum*.
- d) „, *equitantia*, folium basi alterum circumdans: *Iris*, *Gladiolus*, *Sisyrinchium*, *Dracaena ensifolia*.
- e) „, *perfoliata*, caule folia perforante: *Bupleurum perfoliatum*.

Ab his bene distingueda sunt:

- f) *connata* seu *coadunata*, folia opposita, basi concreta: *Lonicera Caprifolium*, *Crassula cultrata*, *Crass. marginalis*, *Crass. perfoliata*, *Dipsacus fullonum*.
- g) „, *sessilia*, absque petiolo, cauli adhaerentia: *Lilium bulbiferum*, *Oenothera biennis*, *Succisa pratensis*, *Scabiosa*.
- h) „, *petiolata*, quae cum petiolo cauli adhaerent.
- i) „, *peltata*, in medio superficie superioris cum petiolo junguntur: *Tropaeolum majus*; *Ricinus communis*, *Pelargonium peltatum*.
- k) „, *vaginantia*: *Polygonum*, *Rumex*, *Gramina*.
2. Folia articulatione affixa: Arbores et frutices plurimi.

Ratione congeriei seu dispositionis.

Folia opposita, alterum sinistrum, alterum dextrum versus positum: *Gratiola officinalis*, *Cynanchum Vincetoxicum*, *Labiatae omnes*, *Caryophyllineae*, *Cor-nus*, *Aesculus*, *Vinca minor*, *Hypericineae*.

„, *decussata* sunt folia opposita ita, ut si a superiori conspiciuntur, formam crucis aemulent: Eu-

phobia Lathyris, Lysimachia vulgaris, Veronica decussata, Beaufortia decussata, Crassula imbricata.

,, *disparia*, folia opposita, inaequalis tamen magnitudinis: Melastoma heterophylla.

,, *verticillata* (quirlsförmig):

a) *terna*: Epilobium montanum, Nerium Oleander.

b) *quaterna*: Galium cruciatum, Rubia tinctorium.

c) *quinterna*: Myriophyllum pectinatum.

d) *sena*: Asperula arvensis.

e) *octona*: Asperula odorata, Galium verum, G. Mollugo.

,, *fasciculata*, si plura ex eodem originem trahere videntur puncto: Berberis vulgaris, Pinus Larix, Aspalthi plures, Pinus Strobus, P. cempra.

,, *alterna*: Asperifoliae, Gramina, Cucurbitaceae, Umbeliferae, Solanicae, Cruciferae, Leguminosae.

,, *disticha*, in duplice distincta seriem: Pinus Abies, Taxus baccata, Prunus laurocerasus, Ulmus, Celtis.

,, *in angulum disposita* (in Winkel gestellt) spiraliter ita disponuntur, ut folium sextum supra primum collocetur.

,, *spiraliter disposita* (spiralstehend) si plura, quam quinque spiraliter collocata sunt folia: Lycopodium.

,, *spiraearia* (schraubenständig) si bases foliorum nimis sunt confertae: Aloë spiralis.

,, *rosulantia* (rosettenartig) si plura folia radicalia conferta stellatim sunt disposita: Saxifragae plures, Drosera, Sempervivum, Pinquicula vulgaris.

,, *coronantia* (frönend) si folia fasciculata in fine trunci endogenei erumpunt: Dracaena, Palmae.

Dispositio in genere ad duas reduci potest modificationes:

a) *ad folia verticillata* (quirlsförmig) quorum minimum duo formant folia.

b) *ad folia spiraliter disposita*, quorum minimum iterum duo exhibent folia.

,, *cruciata* (kreuzförmig) folia bina cum tertio quodam in eadem planicie formam crucis exhibentia: *Lemna trisulca*.

,, *sparsa* (zerstreut) absque ordine quodam disposita: *Lilium bulbiferum*.

,, *conferta* (gedrängt): *Verbascum thapsiforme*. *Gnaphalium montanum*.

,, *cespitosa* (rasenförmig): *Gramina plurima et Cyperoideae, Paronichia*.

,, *imbricata* (dachziegelförmig), medietatibus superioribus foliorum inferiorum medietates inferiores foliorum superiorum teguntur: *Aretia helvetica*, *Sedum acre*, *Thuya occidentalis*, *Juniperus Sabina*, *Lycopodium denticulatum*.

Series foliorum numerantur et quidem:

a) ,, *bifariam imbricata* (zweireihig = dachziegel förmig).

b) ,, *trifariam imbricata* (dreireihig = dachziegelför mig): *Aloë spiralis*.

c) ,, *quadrifariam imbricata* (vierreihig = dachziegel förmig). *Juniperus Sabina*, *Crassula pyramidalis*, *Thuya occidentalis*.

d) ,, *sexfarlam imbricata* (sechsreihig = dachziegel förmig): *Sedum acre*.

e) ,, *multifarlam imbricata* (vielreihig = dachziegel förmig): *Aretia helvetica*.

Folia patentia (abstehend) cum caule angulum plus minus acutum formantia: *Lilium bulbiferum*.

,, *patentissima* (weitabstehend): *Galium cruciatum*, *Asperula arvensis*.

,, *recurva* (ab- und auswärts gefräummt): *Plantago Psyllium*, *Lilium candidum*, *Hemerocallis flava*, *Areca oleracea*.

,, *pendula s. pendentia* (herabhängend): *Convolvulus sepium*, folia superiora *Sinapeos nigrae*.

,, *incurva* (auf- und einwärts gefräummt): *Sedum album*, folia supra *Sedi reflexi*.

,, *conniventia* (gegen einander geneigt); *Sempervivum tectorum*.

Ratione directionis.

Folia adpressta, quorum ad altum erectorum superficies superior cauli adjacet: *Thuya*, *Juniperus Sabina*.

,, *erecta*, ad altum spectantia, et cum caule angulum formantia acutum: *Euphorbia Gerardiana*.

,, *divergentia*, angulum formantia rectum cum caule: *Galium*, *Rubia*.

,, *resupinata*, si superficies superior ad inferiorem dirigilur: *Altstroemeria Pelegrina*.

,, *obliqua*, dimidia pars, a basi horizontalis, altera pars autem erecta: *Fritillaria imperialis*, *Protea obliqua*.

,, *verticalia*, quae angulum formant rectum cum horizonte: *Lactuca Scariola*, *Lact. saligna*, *Achillea Eupatoria*, *Metrosideros*.

,, *horizontalia*, parallella cum horizonte: *Lactuca virosa* et alia.

Folia reflexa, humum spectantia : *Galium verum*.

„ *divaricata* : *Rubia tinctorum*.

„ *reclinata*, horizontaliter orta ad humum incurvantur : *Populus tremula*, *P. monilifera*.

„ *assurgentia*, horizontaliter orta demum ascendunt.

Ratione formae.

Dividendo folia ratione formae, respiciuntur basis, apex et circumferentia.

Basis.

Folia cordata, basi incisa, ut cordi chartae lusoriae similia evadant : *Cynanchum Vincetoxicum*, *Sida Abutilon*, *Lamium purpureum*, *Syringa vulgaris*, *Tilia europaea*, *Ribes*, *Helianthus annuus*.

„ *lunata*, *Passiflora lunata*.

„ *reniformia*, quorum latitudo major est quam longitudo et basi ita incisa, ut lobi bini formentur rotundi : *Aristolochia Clematitis*, *Asarum europaeum*, *Glechoma hederaceaus*.

„ *sagittata*, basi insecta lobulos formant acutos duos in directione in apicem decurrentia directa : *Isatis tinctoria*, *Sagittaria sagittifolia*, *Rumex acetosa*, *Spinacia oleracea*.

„ *hastata*, lobulis acutis divergentibus : *Rumex acetosella*, *Atriplex patula*, *At. hastata*.

„ *cordato-hastata* : *Rumex scutatus*, *Polygonum Fagopyrum*.

„ *auriculata*, lobulis parvis subrotundis basi adnexis : *Nicotiana Tabacum*, *Arabis auriculata*, *Sal-*

via auriculata, Nicotiana macrophylla, Solanum dulcamara.

Folia basi inaequalia, lobulo uno minore, quam altero: Ulmus campestris, Ulmus effusa, Begonia obliqua, Datura Tatula.

A p e x.

Folia obtusa, apex plus minus rotunda: Brassica Rapa, Galium cruciatum, Berberis vulgaris, Aristolochia Clematitis.

„ *acuta*, in acumen terminantia: Lysimachia vulgaris, Cineraria spathulaefolia, Celtis occidentalis, Capparis spinosa.

„ *acuminata*: Atropa Belladonna, Populus monilifera, Tilia pubescens, Phaseolus vulgaris, Orobus vernus.

„ *cuspidata*, apex in longum detracta: Verbas-cum phlomoides, Sida Abutilon, Acer laciniatum.

„ *mucronata*, apice obtusa, nervo medio porrecto: Vicia sativa, Galega officinalis, Glycyrrhiza echinata.

„ *retusa*, in sulcum terminantia: Vicia sativa, Saxifraga crassifolia, Amaranthus Blitum.

„ *emarginata* sunt folia retusa majoris gradus, Colutea arborescens, Globularia vulgaris.

„ *praemorsa*, apice lata, irregulariter terminata: Pavonia praemorsa.

„ *truncata*, quorum apex abscissa videtur: Liriodendron tulipifera, Melilotus polonica, Melilotus officinalis.

Folia obcordata, apice formam cordis chartae lusoriae exhibente: *Trifolium subterraneum*, *T. Chelieri*, *Oxalis stricta*, *Ox. acetosella*.

Circumferentia.

Folia orbiculata: *Pyrola media*, *Hydrocotyle vulgaris*, *Cotyledon orbiculata*.

„ *subrotunda*: *Rhus cotinus*, *Hedysarum coronarium*, *Cardamine pratensis*.

„ *ovata*, basis plus minus rotunda vel lata, apex acuminatur: *Syringa chinensis*, *Citrus medica*, *Bupleurum rotundifolium*, *Origanum vulgare*, *Phytolacca decandra*, *Androsaemum off.*, *Prunus Amarella*, *Ceratonia siliqua*.

„ *obovata*, apex lata, basis acuminatur: *Vaccinium uliginosum*.

„ *oblonga*, longitudine latitudinem ter quaterve superante: *Brassica orientalis*, *Amygdalus campestris*, *Limosella aquatica*, *Citrus Limonium*.

„ *lanceolata*, folia oblonga, a basi ad apicem usque acuminata: *Lathyrus palustris*, *L. sylvestris*, *Asperula odorata*, *Digitalis lutea*, *Antirrhinum majus*, *Gratiola off.*, *Linaria minor*.

„ *spathulata*, folia obovata, in longitudinem magis detracta: *Cineraria spathulaefolia*, *Saxifraga cuneifolia*, *Bellis perennis*.

„ *linearia*, oblonga, marginibus decurrentibus, latitudine aequali: *Dianthus Caryophyllus*, *Linaria vulgaris*, *Galium verum*, *Crocus vernus*.

„ *capillaria*, latitudine exigua; *Ranunculus fluitialis*, *Myriophyllum demersum*.

Folia subulata (spfriemförmig) a basi latitudine ad apicem versus notabiliter decrescentia: *Hippuris vulgaris*, *Polycnemum arvense*, *Arenaria saxatilis*, *Ar. verna*, *Spergula nodosa*, Sp. laricina.

„ *pandurata*, folia oblonga, in latere utroque excisa: *Convolvulus pandurus*, *Euphorbia cyathophora*.

„ *ensiformia*, folia lineato-lanceolata marginibus acutis: *Iris germanica*, *Gladiolus communis*, *Iris florentina*.

„ *falcata* (sichelförmig) folii lineati aut lanceolati margines plus minus incurvati: *Bupleurum falcatum*, *Xylophylla arbustula*.

Ratione marginis.

Folia integerrima (ganßrandig) absque eminentiis: *Asarum europaeum*, *Citrus Aurantium*.

„ *crenata*, prominentiae parvae acutae adsunt: *Caltha palustris*, *Betonica off.*, *Salvia off.*

a) *acute-crenata*: *Saxifraga Geum*.

b) *obtuse-crenata*, *Betonica off.*, *Glechoma hederaea*.

„ *crenulata*: *Salvia off.*, *Malva crispa*.

